NONNULLA
DE
NEMATUM USU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
NIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE V. JANUARII M. A. MDCCCXXVII.
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
SAMUEL JULIUS CATT,
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. RASCHKOW, MED. DD.,
H. FRIEDBERG, MED. CAND.,
L. KRIEG, MED. STUD.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

PERILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO,

EXPERIENTISSIMO,

C. W. HUFELAND,

REGIS BORUSSORUM A CONSILIIS INTIMIS EQUITI ORDINIS AQUILAE RUBRAE SEC. CLASS. ARCHIATRO REGIS PRIMO NEC NON MEDICO PRIMO NOSOCOMII CARITATIS PROF. PUBL. ORD. IN UNIVERS. LITER. BEROLINENSI NEC NON SOCIETATUM COMPLURIUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI

SUMMA PIETATE COLENDO,

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO, HUMANISSIMO,

C. G. T. OPPERT,

MED. ET CHIR. DOCTORI, MEDICO PRACTICO INCLYTO, SIGNI HONORIS BORUSS. PRIM. CLASS., FACULTATIS MED. IN UNIVERSIT. LITER. BEROLINENS. PRIVAT. DOCENTI ET SOCIETATUM MEDIC. COMPLUR. SODALI,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

SCRIPTORES DE HAC MATERIA, QUI SEQUUNTUR, NOBIS OCCURRUNT.

Moebius de natura et usu clysterum saluberrimo diss. inaugural. Jenae 1649.

raaf, R. de, tractatio de clysteribus.

lajor, J. D., de clysteribus veterum ac novis diss. in 4. Kiloniae 1670.

amerarius, E. R., de clysmatibus. diss. inaug. Tubingae 1688.

anzoni, J., de clysteribus.

llbrecht J. G., de enematum evacuantium, alterantium et nutrientium usu diss. Lugd. Bat. 1698.

ick, de clysteribus nutritiis et frigidis diss. inaug. Jenae 1718.

chwarz, von Clystieren als ein Allgemeines. Hamburg 1723.

etharding, de eo, quod justum est circa enemata. Rostochii 1737.

udolf, de clysterum insigni utilitate et noxa dissert. Erfordiae 1748.

riler, D. G., de clysterum nutrientium antiquitate et usu. Progr. 1750. (Opuscul. med. Bd. I.)

uellmalz, S. Th., de clysmatibus frigidis. Progr. 1751. Lipsiae.

iaper, de clystere diss. Edinburgi 1754.

Sigwart, G. F., novae observationes de infarctibus venarum abdominalium internarum, eorumque resolutione per enemata potissimum instituenda. Diss. inaug. Tubingae 1754.

Langguth G. A., de clystere febrium exanthematicarum remedio non minus tuto quam efficaci. Diss. Vitembergae 1756.

Langguth, G. A., de clystere sicco, nonnulla ad ejus historiam spectantia. Progr. 1756. Vitembergae.

D'onglée, an sanis noceat quotidianus ἐνεμάτων simplicium usus. Affirm. diss. inaug. Parisiis 1757.

Büchner, de circumspecto clysterum in morbis exanthematicis usu diss. Halae 1757.

Krueger, J. G., de usu enematum in febribus acutis Diss. Helmstadii 1757.

Schaeffer, Gebrauch und Nutzen der Tabacksrauchklystiere.

Girard de enematibus intestinalibus Diss. Argent. 1762.

H. D. Gaubius Libellus de methodo concinnandi formulas medicamentorum. Edit. tertia. Basileae 1782.

Pfaff historia clysterum pathologico-therapeutica. Diss. Jenae 1780.

Saphrani de clysteribus eorumque effectibus. Diss. inaug. Halae 1781.

Loddeweykx, Hubert, de clysteribus et eorum in morbis usu. Diss. inaug. 1782.

Nicolai, E. A., Programmata de virtute et usu clysterum ex aceto. Jenae 1783.

Meyer, J. C., de clysmatibus. Diss. Gottingae 1786.

Boehmer, G. R., de noxa et abusu clysmatum. Diss. 1788. Vitembergae.

Gallois de enematibus, specimen inaug. 1809.

Dictionaire des sciences médicales. T. V.

Callisen System der neuern Chirurgie. Bd. I. 1822.

Feller epistola de enematibus. Lips. 1781.

INTRODUCTIO.

Clyster, κλυστὴρ, Latinis idem est, quod lavamen seu ablutio, a verbo κλύζειν, quod et lavare significat; alio nomine Graecis ἔνεμα, ab ἐνίημι, infnndo, dicitur, quae vox Latinis injectionem significat [1].

Maximi haud dubie momenti in materia cum medica tum chirurgica remedium clysma est, quo multis in casibus carere medici non possunt. Ab antiquissimis jam temporibus notum simul cum ipsa medicina exortum videtur, ac utilissimum semper, saluberrimumque sese praebuit. Non enim in *Plinii* secundi atque *Plutarchi*, sed in *Hippocratis* etiam scriptis mentionem ejus invenimus [2], neque minus recentioris aevi medici salutarem ejus effectum observarunt. Nostra autem aetate quis est, qui clysmatum, praesertim visceralium, vim utilitatemque ignoret? [3] Sed quod saepissime in hujuscemodi

---

1) Dictionaire des sciences médicales. B. V.
Callisen System der neuern Chirurgie. B. I.

2) *Plinius* secundus historia naturalis. Lib. XX. Cap. 8., Lib. XX. Cap. 42., Lib. XXIV. Cap. 40., Lib. XXXI. Cap. 33 et Cap. 45., Lib. XXXII. Cap. 17.
Plutarch Liber de Iside et Osiride.
Hippocrates Opp. ed. Foes. Genev. 1637. p. 492.

3) De hujus medicamenti inventione *Regnerus de Graaf* (Opera omnia pag. 362. sqq.) hoc fere dicit: „Hujns me-

remediis adhibendis fieri solet, ut scilicet ab imperitis atque virium ejus ignaris temere adhibita, letifera fiant venena, cum clysmate etiam factum est. Hoc itaque modo clysmatum applicatione ut pertinacissimos abdominis morbos sublatos ita levissimam colicam eodem remedio adhibito in spasmos gravissimos mutatam vidimus [1]. Qua re equidem regulas primo nonnullas, quae in clysmatum applicatione in genere sunt observandae, ac deinde ipsam applicationis rationem brevibus verbis exponam.

---

dicamenti inventionem nemo mortalium sibi adscribit unquam, quandoquidem non ab hominibus, sed a brutis animalibus instinctu quodam naturae introducta sit; legimus enim quod in Aegypto avis sit ciconiae haud dissimilis, appellata, quae hominibus omnium prima Clysteris usum demonstravit; dum enim humorum noxiorum copia se gravari sentit, hoc animal, rostro aqua marina impleto, ea se parte proluit, qua ventris onera reddi maxime salubre est."

1) Schaden und Mißbrauch der Klystiere, ein Gegenstück zu Kaempf's Abhandlung. Leipzig 1709. 8.

PARS I.

REGULAE IN CLYSMATUM APPLICATIONE OBSERVANDAE.

I. Quae omnino in morbis stat lex ut remediorum dosin, quam per os adhibemus, accuratius praescribamus, haec etiam in clysmatibus minime negligenda est. Supponere quidem possumus, crassa intestina multo minus, quam ventriculum esse irritabilia, sed tamen cutem illa irritabilitate antecedunt. Praeterea specifica quadam irritabilitate intestina crassa praedita esse videmus, quae tamen minor est quam ea, quae in superiore parte canalis intestinalis animadvertitur [1]. Emetica, e. g. per anum immissa vomitum efficiunt, clysmata eodem modo e substantiis parata narcoticis effectus narcoticos proferunt. *Hufeland* semper observavit, si plus quam ʒjj herbae hyoscyami ad clysma adhibitae fuerint, deliria atque signa narcotica orta esse [2]. Ex ejusdem viri Illustrissimi sententia poni fere potest, si dosis pro ventriculo una est, ad clysma quinque adhibendas esse.

II. Quodsi consilium nobis est, ut medicamina per clysma corpori illata in eodem permaneant ibique assimilentur, seu omnino, quando evacuationem efficere nolumus, clysmata nunquam nimis irritantia neque copiosa sint necesse est, quorum illa propter nimiam tractus intestinorum irritabilitatem muscularem facile contractiones atque con-

---

[1]) *Callisen* l. c. B. I.

[2]) *Hufeland* System der pract. Heilkunde. B. I.

tentorum propulsum, haec autem propter nimium volumen irritationem efficerent.

III. Clysmatis temperies nullo modo stricte designari potest. Neque nimis frigidum, neque calidum esse debet, ne faciei vel palpebris allatum injucundum efficiat sensum [1]).

IV. Humoris quoque copia, clysmate uno tenore illata et varia pro aetate et diverso consilio, quod applicatione adipiscamur, diversa est. Datur adultis e. g. clysma, quo vulgo utimur, ℥vjjj, infantibus contra ℥jj usque ad ℥jjj. Secundum *Bernstein* [2]) adultis ℥vjjj, infantibus ℥vj, neonatis autem ℥jj — ℥jjj.

V. Tempus, quo immittendum, an mox, an mane, vespere etc.? Nulla hora in universum huic remedio inepta est. Urgens necessitas quamcunque admittit. Alias tamen vacuo ventriculo magis probatur ejus usus [3]).

VI. Detinendi vero tempus non unum idemque est, sed pro clysterum diversitate plurimum variat, nam quibus abluendi et extergendi vis inest, hi supra horae dimidium in corpore haud retineantur. Dolorem vero mitigantes longiori tempore detineri debent, et omnium longissime quibus glutinendi facultas est. Qui vero purgandi vim obtinent, sua sponte erumpere solent, quod si tamen nimis diu in corpore detineantur, glandem suppo-

---

1) *Bernstein* chirurg. Lexicon.
R. de Graaf l. c. pag. 367. *Callisen* l. c.
H. D. Gaubius Libellus de methodo concinnandi formulas medicamentorum. Edit. tertia. Bisil. 1782.

2) l. c.
Gaubius l. c.

3) *Gaubius* et *Graaf* l. c.

nere convenit, ut intestinum crassum irritetur ad celeriorem contentorum expulsionem [1]).

VII. Quodnam in latus decumbendum sit aegrotantibus, eo tempore, quo clysteres injiciuntur, de eo non conveniunt inter se medici; plerique enim in dextrum, alii vero in sinistrum latus majori cum fructu aegrotantes suos decumbere judicant [2]).

DE CLYSMATUM APPLICATIONE IN GENERE.

Clysmata in genere in usum vocantur:

I. Evacuandi causa, sed caveamus, debilitationem efficiamus, v. c. apud febres nervosas cum alvi obstructione conjunctas, quae colicam aliaque incommoda aegroto affert. Faeces hic, ne morbus augeatur, necessario asportandae sunt. Quo autem modo hocce assequamur purgante quo vires minuuntur? Clysmata optima atque unica exinaniendi remedia sunt. Omnino enim poni potest, quodcunque catharticum, quamvis ad debilitantium quod vulgo dicitur genus, seu salia media non pertineat, semper plus minusve debilitationis efficere.

II. Ubicunque quam brevissimo temporis spatio evacuationem efficere velimus, semper clysma purganti anteponamus necesse est. Semper enim purgans, etiamsi e drasticis fuerit, ad effectum nonnullarum spatio horarum eget. Imo, ipsum oleum crotonis propter otiosissimum effectum mire a multis laudatum nunquam tam celerem quam clysma efficacitatem ostendit. Aegroti quoque ab

---

[1]) *R. de Graaf* l. c.

[2]) *Callisen* l. c.

hoc remedio propter gustus foeditatem abhorrent. Praeterea plerumque ubi consilium nobis est quam celerrime evacuationem efficiendi difficile foret oleum crotonis in promptu habere, contra clysmatibus uti semper fere occasio nobis erit.

III. Clysmatibus semper utimur, ubi locales magis effectus antispasmodicos, respectu tractus intestinorum seu vicinarum ejus partium, ut uteri, et praecipue inferioris crassorum intestinorum partis proferre volumus. Quis est, qui clysmata antispasmodica felicissimo cum eventu adhiberi neget in hernia incarcerata, dysenteria, colica spasmodica, miserere etc.?

IV. Semper clysmata in usum vocantur si derivantes effectus proferre velimus, ut in encephalitide etc.

V. Ubicunque remedium corpori inferre velimus, quod per os Idiosyncrasi aliqua aegroto nullo modo dari possit, e. g. camphora, opium, cicuta etc., clysmate medicamentum corpori infundendum. In ventriculo enim auctore, eoque gravissimo, *Hufeland* [1]), Idiosyncrases pleraeque contra medicamina sedem habent.

VI. Plerumqne ubi medicaminis efficaciam augere ejusque majorem dosin corpori imbuere cupimus, clysmata adhibenda sunt. Ita *Raimann* [2]) clysmata ex china in febribus intermittentibus malignis praecipue brevi ante paroxysmum, et una cum interno chinae usu conjuncta, et sine eodem, in magna organorum digestionis debilitatione, in aegroti aversione et in infantibus laudat.

VII. Instrumenta, quae variis locis varia in usu

---

[1]) System der pract. Heilkunde. B. I.

[2]) Specielle Therapie und Pathologie. B. I.

sunt, hic propter angustias et temporis et spatii non enumeranda [1]).

VIII. Injectio denique neque nimis impetuosa, nec properata esse debet.

---

[1]) Omnia haec instrumenta descripta invenies apud:
Schäffer, Gebrauch u. Nutzen der Tabaksrauchklystiere, nebst Maschine.
Goursard, Mém. de l'acad. de Chir. Tom. IV.
Richter Chir. Bibl. B. I. St. 4. S. 60., B. IV. S. 379. et B. V. S. 754.
Bell B. I. Tab. 3. Fig. 5.
Feller, Epistola de enematibus.
Zucchelli Reisebeschreibung nach Congo.
Joh. Videmar machinae ad Ileum curandum casu inventae descriptio et usus.
Mém. of the med. Soc. of London. Vol. 2.
Allgemeine deutsche Bibliothek. Bd. 107. S. 405.
Callisen l. c.

PARS II.

DE CLYSMATUM DIVISIONE, EORUMQUE IN MORBIS APPLICATIONE.

Clysmata pro mixtionis varietate et consilio, quo ducimur, diverso, dividuntur in:

I. Clysmata emollientia s. relaxantia,
II. Clysmata nutrientia,
III. Clysmata antispasmodica,
IV. Clysmata excitantia,
V. Clysmata resolventia.

I. Clysmata relaxantia crassorum intestinorum contenta emolliunt, eaque ad evacuationem apta faciunt, porro stimulo motum tractus intestinorum augent peristalticum, atque ita excretionem profe-runt. Praeparantur vel ex aqua tepida, vel ex decocto avenae excorticatae, radicis althaeae, vel secundum *Graaf* et *Gaubium* ex urina hominis [1]). Quae autem decocta oleo seu melli conjungenda, aut si res desiderent salia iis solvenda, ut natrum muriaticum, natrum sulphuricum, magnesia sulphurica etc. [2]). Interdum autem, si alia salia nimis acria essent, ad mixtionem saccharo utuntur albo, e. g. apud infantes, vel apud homines teneros, facile irritabiles.

Quod clysmatum genus persaepe usurpatur, nullus enim fere est morbus, quo non aliquando clysmate purgante utamur. In genere autem applicanda sunt, ubi partis inferioris tractus intesti-

---

1) l. c.

2) *Callisen* l. c.
Arnemann chirurg. Arzneimittellehre.

norum exsiccatio atque induratio exstat, ut multis in morbis inflammatoriis, qui saepe pertinacibus cum alvi obstructionibus conjuncti esse solent. Eadem *Richter* [1]) praecipue ante exacerbationem in febri inflammatoria simplici laudat. Et *Raimann* [2]) leves hujusce febris gradus unico evacuantium clysmatum usu, conjuncto refrigeratoriis cum potubus levari posse contendit. Omnibus porro in morbis gastricis, siquidem saburrae non in ventriculo, sed jam in inferiori parte canalis intestinalis sunt, ubi evacuatio per anum proferenda, purgantia vero debilitantis naturae causa vitanda sunt, clysmata in usum vocantur. Omnibus in morbis nervosis, ubi adstrictio adest alvi, diversa aegrotis faciens incommoda, faeces removendae, purgantia autem eadem ex causa fugienda sunt.

Haec vero clysmata rarius in officinis parantur, cum materiae, e quibns constant, in unaquaque re domestica in promptu esse soleant, formulas tamen nonnullas afferam.

Rec. Decoct. aven. excort. ℥vj
Mell. commun. ℥j
Natr. muriat. ℥ß
M. D. S.

Rec. Herb. malv. ʒjj
coq. c. aq. font. s. q. ad colat. ℥vjj
adde saponis domestic. ℥j
Natr. sulphur. ℥ß
M. D. S.

Rec. Flor. chamomill. ʒjj infunde
c. aq. fervid. ℥vj cola adde
ol. lini ℥jß
Natr. muriat. ʒjj
M. D. S.

---

1) Specielle Therapie B. I.
2) l. c. B. I.

II. Ubi per os nihil corpori inferre possumus, clysmata nutrientia alimentorum loco adhibentur, quamvis certum sit, non idem ea valere, quod ipsa nutrimenta, sed nonnisi absumtionem corporis prohibere, nutritionem nullo modo efficere posse.

Parantur e jusculo carnis, lacte, decocto ichthyocollae, amylo, vitello ovi, gummi mimos. etc. *Gaubius* [1]) praecipue jusculum carnis ad haec clysmata praeparanda laudat. *Celsum* hujus clysmatum ordinis inventorem ferunt [2]). Haec clysmata, ut supra diximus, minimis in dosibus adhiberi debent, ne volumine tractum intestinalem irritent, atque ita evacuationem efficiant, quae inepta hoc in casu foret, cum materiae ad conservandum corpus immissae hoc modo sine ullo effectu e corpore ejicerentur. At nutrienti clysmati praemittendum aliud intestina a faecibus repurgans, ut et diutius retineatur et tanto promptior ejus absorptio fiat [3]). Opii etiam aliquantulum iis immiscetur, quo certius retineantur.

Quandoquidem homo omni quandoque cibo defraudatur, nihilque assumere potest, vel quod omnibus modis cibum aversetur, vel quod assumptum continere, aut deglutire non possit, merito petitur, an non viribus deficientibus ob nutrimenti inopiam subveniri queat, si alimenta aliorum clysterum more in anum intromittantur?

Memoratu dignum exemplum *Ramazzini* [4]) nobis refert de virgine monastica, quae propter paralysin pharyngis devorare non poterat, ac per LXVI dies solis clysmatibus nutrita magnamque ad partem restituta

stituta

---

[1]) l. c. pag. 417.

[2]) *Triller* de clysterum nutrientium antiquitate et usu. Progr. 1750. Vitembergae, Opp. Bd. I.

[3]) *Arnemann*, *Gaubius*, *Triller*, *Callisen*, l. c.

[4]) Opera p. 213.

stituta est; de gravida autem per sex hebdomades clysmatibus solis nutrita *Fabricius Hildanus* narrat [1].

Rec. Jusculi carnis ℥jß
misce terendo c.
Vitell. ovor. No. j
M. D. S.

Rec. Amyli hordei ʒjj ebull.
c. aq. fervid. ℥vj adde
Vitell. ovor. Nro. j
Tinctur. theb. ℈j
M. D. S. Tertia pars ad clysma sumatur.

Rec. Lactis ℥jv
Muc. gumm. mimos. ʒjjj
Vitell. ovor. Nro. j
M. D. S. Dimidia pars ad clysma sumatur.

III. Clysmatum antispasmodicorum effectus est antispasmodicus, sedans, dolorem mitigans tam in canali intestinali quam in ejus partibus vicinis.

Omnibus e remediis narcoticis et antispasmodicis hoc clysmatum genus paratur, ut ex opio, belladonna, hyoscyamo, camphora, asa foetida, plurimisque aliis. Horum etiam clysmatum volumen nimium esse non debet, ne celer fiat evacuatio eque ita vis ipsa narcotica apparere non possit.

Rec. Rad. valer. silv. ʒjj infunde
c. aq. fervid. ℥jv cola adde
tinctur. asae foetid. ʒj
mucil. gumm. mimos. ℥j
M. D. S.

Rec. Asae foetid. ʒß
vitell. ovor. Nro. j
aq. flor. chamom. ℥jv
M. Terendo. S.

---

[1]) Cent. 4. obs. 30. in opp. Francof. 1646. fol. p. 311.

Rec. Flor. chamom. ʒjj infunde c.
aq. fervid. ℥jv cola adde
Extr. hyoscyam. ℈j
M. D. S.

Rec. Flor. chamom.
rad. valer. silv. aa ʒj infunde c.
aq. fervid. ℥jv cola adde
Tinctur. Castor. ℈j
Muc. gumm. mimos. ʒjj
M. D. S.

Rec. Herb. nicotian. ℈j infunde c.
aq. fervid. ℥vj
ol. lini recent. ʒjj
M. D. S.

Rec. Camphor. gr. jv
Vitell. ovor. Nro. j
Decoct. aven. ℥jv
M. D. S.

Multis in casibus haec clysmata antispasmodica in usum vocantur. *Raimann* e. g. in Cholera inflammatoria usum clysmatum e substantiis mucilaginosis cum opio, in cholera autem spastica e substantiis aromaticis cum tinctura opii mixtis commendat [1]. Clysmata porro antispasmodica applicanda sunt in colica spastica, hernia incarcerata cum irritatione inflammatoria conjuncta, in obstructione pertinace originem a spasmo ducente, ischuria spastica etc., inprimis clysmata e nicotiana. *James O'Beirne* in tetano traumatico optimo cum eventu clysmatibus e tabaco utebatur [2].

IV. Clysmata excitantia vim excitantem in tractum intestinorum ejusque partes vicinas exercent,

---

1) *Raimann* l. c. B. II.

2) Neue Sammlung auserlesener Abhandl. für pract. Aerzte. Leipzig 1822.
Dictionaire des sciences medicales. B. V.

porro ut incitantia totum in organismum agunt, denique ut derivantia.

Etsi variis sub conditionibus haec clysmata probanda sunt, tamen in iis applicandis providendum est, ne diathesis inflammatoria intestinorum adsit, quam per se haecce clysmata efficere possunt. Deinde pro varia individui indole materiae, quae clysmatis mixtioni jungantur, sive fortiores sive leviores eligendae sunt. Haec clysmata e remediis acribus excitantibusque praeparantur, ut ex flor. chamom., herb. menth., millefol., aceto, fumo nicotianae, tartaro stibiato, ammonio, sale ammoniaco, natro muriatico, oxymelle simplice et scillitico etc.

Rec. Flor. chamomill. ℨjj infunde c.
aq. fervid. ℥vj cola et solve
tart. stibiat. gr. jjj
M. D. S.

Rec. Flor. chamomill. ℨjj infunde c.
aq. fervid. ℥jjj cola adde
acet. vin. optim. ℥jj
Natr. muriat. ℥ß
M. D. S.

Rec. Flor. chamomill.
herb. menth. crisp. aa ℨj infunde c.
aq. fervid. ℥jv cola adde
Oxym. simpl. ℥jj
Natr. muriat. ℥ß
M. D. S.

Rec. Acet. vini optim. ℥v
Mell. crud. ℥jß
M. D. S.

Rec. Decoct. aven. ℥jjj
Oxymell. scill. ℥ß
Natr. muriat. ℨjj
M. D. S.

At vero hujus clysmatum generis usus latissime patet, ita ut dissertationis inauguralis angustias longe

transgrederer, siquidem vel brevissimis verbis casus omnes perstringere velim, in quibus clysmata adhibentur excitantia. In Asphyxia prae ceteris clysmata ex fumo nicotianae prospero cum eventu usurpantur, neque minus propter vim antispasmodicam in colica spastica, atque in pertinacioribus ani obstructionibus.

Ob vim suam derivantem clysmata ex aceto magnopere sunt commendanda in statibus irritativis cerebri ut in mania, hydrocephalo acuto, nymphomania. Sunt etiam, qui eadem laudent in cephalaea e vitio abdominali exorta, ita ut in animi deliquio hysterico [1]. In tympanitide clysmata commendantur ex aceto atque aqua [2]. In apoplexia sanguinea clysmata derivantia e nitro et natro muriatico, praecipue vero e tartaro stibiato [3], eximio gaudent successu, quorum ultimi in encephalitide etiam morbisque animi multum valent.

V. Clysmata resolventia sive visceralia, recentiori tempore *Kaempfii* laudibus ornata, ut resolventia agunt localia in tractum intestinalem praecipue in infarctibus.

Ad quae componenda *Kaempfio* auctore haec inserviunt [4]: herba et radix taraxaci, rad. graminis, rad. valerianae, herba cardui benedicti, herb. et flor. anagallis arvensis, herb. fumariae, marrub alb., herba, rad. et flor. arnicae, achillea millefolium, chamomilla, verbascum, lapathum acutum, rubia tinctorum, solanum dulcamara, ononis spinosa, simaruba, flores

---

1) *Frize* med. Annalen. B. I.

2) *Raimann* I. c. B. II.

3) *Raimann* l. c. B. II.

4) J. Kämpf, Abhandlung von einer neuen Methode, die hartnäckigsten Krankheiten des Unterleibes, und besonders die Hypochondrie, sicher u. gründlich zu heilen. 2. Ausgabe. Leipzig 1786. 8.

aurantii, herba menthae piperitae, conium maculatum, fel tauri inspissatum, asa foetida.

Unicuique dosi speciei ad clysma adhibendae furfuris tritici manipulum adjici *Kaempfius* jubet, quo decocti consistentia augeatur, qua facilius in colo retineatur. Eodem auctore clysma tamdiu in intestino retinendum est, donec plane absorbtum proxima in sede nullum sui ostendat vestigium.

Ad clysma viscerale praeparandum aqua calcis saepissime utimur, quae tamen, ut *Kaempf* putat, vitanda est in corporis statu sicco, bilioso, fibris nimis adstrictis, infarctibus polyposis, atque lapidosis, faecibus in intestinis copiosis atque induratis, in alvi obstructione inde coorta, in sanguinis congestione versus superiores corporis partes ac renes, neque minus in motibus febrilibus.

Salutaris horum clysmatum fit applicatio in hypochondria ab infarctibus abdominis orta, porro in atrophia infantili aliisque permultis morbis. Sunt, qui observatum a se dicunt aegri constitutionem, vasis abdominalibus clysmatum ope patefactis, brevi temporis spatio omnino esse mutatam [1]. Quae autem passim apparebant incommoda, a plethora pendebant, atque aestate humida inflammatoria erant.

Quam rem pluribus verbis *Kaempf* l. c. est persecutus.

---

[1]) Thom, Erfahrungen und Bemerkungen. S. 15.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Anno MDCCCV patre J. J. CATT, matreque dilectissima AMALIA e gente NISSEN, quibus adhuc viventibus gaudeo, Posnaniae natus sum. Primis elementis domo imbutus anno aetatis XII Gymnasium Posnaniense, quod Directore Dr. KAULFUSS floruit, adii. Nullum unquam tempus e mente mea delebit memoriam virorum, qui ad excolendum juvenilem animum quid contulerunt; omnium autem minime illius praeclarissimi et optimi viri Prof. SCHOTTKY, hujus viri dico, qui sua prudentia et humanitate non solum me ignarum ad diligentiam impulit puerum, sed me jam in academiam abiturientem, ab omnibus destitutum, beneficiis suis cumulavit. Hic per sex annos moratus Vratislaviam me contuli et testimonio maturitatis instructus ab Illustr. WENDT t. t. Rectore Magnifico in civium academicorum numerum receptus, artisque medicae, cujus semper amore ferebar, studium amplectens, Celeberrimorum et Doctissimorum virorum me auditorem glorior.

Illustr. HINRICHS de logice, metaphysice, philosophia naturali, jure naturae, ethice et aesthetice disserentem audivi. Illustr. WACHLER, hodegeticen, historiamque Alexandri Magni me docuit. Illustr. STEFFENS physicen experimentalem et anthropologiam mihi explicavit. Illustr. TREVIRANUS botanices elementorum et physiologiae plantarum cum animalibus comparatorum praeceptor mihi fuit, excursionibus quoque, quas instituit, botanicis interesse eximia cum humanitate mihi concessit. A Cel. OTTO anatomiam et theoreticam et practicam, et pathologicam et comparatam didici. Illustr. PURKINJE physiologiam et Cel. HUENEFELD anthropochemiam exponentes audivi. Cel. KLOSE encyclopaediam et methodologiam medicam, et historiam medicinae, Illustr. FISCHER chemiam tam theoreticam quam practicam et doctrinam de reagentibus corporum chemicorum, Illustr. WENDT toxicologiam et asphyxiologiam me docuerunt. Illustr. BRANDES arithmeticam, geometriam et trigonometriam et Illustr. SCHNEIDER Julium Caesarem de bello gallico exponentes audivi. His auditis Berolinum petii et ab Illustr. RUDOLPHI t. t. Rectore Magnifico albo academico inscriptus sequentium doctissimorum virorum praelectiones adire licuit.

Cel. ECK de physiologia et pathologia, Illustr. ERRMANN de calore et luce, Illustr. RUST de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis, Illustr. WOLFART de therapia speciali et semiotice, Illustr. OSANN de materia medica, Perillustr. C. W. HUFELAND de therapia generali, Beatus BERENDS de Hippocratis aphorismis, Illustr. HORN de pathologia et therapia morborum psychicorum, Cel. JUENGKEN de ophthalmiatrice et chirurgia, Illustr. LINK de pharmacologia et historia naturali. De arte obstetricia Illustr. DE SIEBOLD et Cel. KLUGE me instituerunt. Ad clinicen practicam mihi duces fuere Perillustr. HUFELAND et Beatus BERENDS.

Quibus omnibus viris praenobilissimis, doctissimis, summeque venerandis, cursu academico finito, hic pro benevolentiis in me collatis palam ex intimo ago pectore gratias. Superest, ut viro humanissimo S. J. Nauen plurimas agam gratias pro summa benevolentia, qua semper mihi sese obtulit.

Tentamine atque examine rigoroso coram gratiosa facultate medica rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina honores mihi impertiantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Veneni nulla definitio est.

II.

Tartarus stibiatus est remedium universale.

III.

In mittendo sanguine non tam annos medicus numerare, quam vires aegrotantis aestimare debet.

IV.

Virginitatis non est certum signum.

V.

Asthma Millari et angina membranacea longe inter se differunt.

VI.

Nullum est in medicina specificum.